

occupet Textus luculentior, inserta *Glossa interlineari*, et latera stipet *Glossa ordinaria*, prout in *Bibliis glossatis* habetur. Praefationes omnes absunt; ad calcem tamen subpleta est illa, quae in *Bibl. Gloss.* audit *S. Augustini*, et inci-

pit: *Omnibus diuinae scripturae paginis euangelium excellit &c.* Sequuntur deinceps quaedam in *Job.* notata, et a diversis manibus temere adjecta quaedam de Eucharistia, Versus mixti morales, v.g.

Est melius subdi, quam stulte uelle reniti.

Diligimus sepe, nobis quod scimus obesse &c.

Alii de Temporibus ecclesiasticis hoc initio:

Que decantauit lugens sua crimina dauid

Exemplo cuius spacio sub temporis huius

Deploremus et oremus culpasque lauemus &c.

Demum Sylloge Sententiarum moralium nullo certo ordine, quarum postremae: *Pecunia non faciat auarum, sed irritat. Occasiones querit, qui uult abamicare. Diuicie addunt plurimos amicos.* Anteriori thecae Codicis inscriptum: *Hunc librum testatus est ad librariam collegij ducalis honorabilis uir dominus matthias puellmair de grintling Presbiter frisingens. diocef.* Nullo, quod sciam, academico munere functus.

XCVII.

U. 62 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. 4. triplici, ut antecedens, perscriptus columna, et a. 1540. legatus ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* contubernio studentium literis Adolescentum ad *D. Nicolaum* a se condito, ut *Προγραμμα* praevium typis excusum fidem facit, complectitur idem

Johannis Evangelium cum iisdem *Glossis*, et quidem Praefatione pariter destitutum. Thecae posticae adglutinata est membrana mutila Instrumenti cuiusdam *Emancipationis* dati *Pragae* a. 1404. et firmati a *Martino* quondam *Galli de Tirnauia Olomuc. Diocef.* Notario publico.

XCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 63 XIV. Folior. 98. 4. non una manu, partimque per tres, partim per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et ab eodem *Joh. Fabro* eidem Contubernio anno 1540. adscriptus continet I. idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Glossis* praemisso tamen supra dicto Prologo, cujus initium: *Omnibus diuinae scripture paginis &c.* item Loco e *Bedae Homilia de Nat. Domini*, et quodam Paral-
lelismo